

*Pro rectificatione Metarum Regni cum vicinis Provinciis; renovato Articulo 66. Anni 1659. et aliis ibidem citatis; Commissarii denominantur.*

### Articulus 23.

§. 5. Circa Carinthiam et Carnioliam; Reverendissimus Dominus Martinus Borkovich, Episcopus Zagrabiensis; vel loco illius, Adm. Reverendus Dominus Michael Boczak, ejusdem Capituli Praepositus major: Magnificus Nicolaus Keglevich: Egregii Balthasar Wragovich, Vice-Banus: Petrus Antolchich, Regni Croatiae Protonotarius. Item unus ex Vice-Comitibus Comitatum Zagrabiensis, vel Varasdiensis.

*Judicia Octavalia, tam majora, quam minora et extraordinaria; Appellationumque Revisiones, ubique statis suis temporibus celebrentur: Ac pro Superiori Ungaria, ad Tabulam Regiam Praelatus et Baro denominantur.*

### Articulus 28.

Ut laudabilis et Deo grata Juris et Justitiae Administratio, pro cujusvis causae aequitate, non tantum in Comitibus administraretur, sed etiam Judicia Octavalia tam majora, quam minora; sicut et extraordinaria et Appellationum Revisiones (non obstantibus quorumvis causis suis diffidentium contrariis votis et opinionibus; aliisque privatis impedimentis) tam in superioribus, quam in inferioribus Regni hujus Partibus, ac in Regno quoque Croatiae et Sclavoniae, statis suis temporibus per suam Majestatem; vel illa absente aut impedita, cum consensu ejusdem per Dominum Regni Palatinum; in Croatia vero per Dominum Comitem Banum, suo modo promulgata celebrentur; articuli quoque Annorum praeteritorum, uti Articulus 41. Anni 1659., Art. 76. An. 1649., Art. 14. An. 1635., Art. 70. An. 1609. superinde jam editi, strictius observentur; unanimiter conclusum est.

*Contra Turbatores et non Admissores Judiciariarum Executionum ac Bonorum judicialiter Executorum Reoccupatores; poena cum Processu statuitur.*

### Articulus 31.

Ad coercendam porro potentiorum in non admittendis et turbandis Judiciariis Executionibus, vel vero Bonorum jam judicialiter Executorum, propria Auctoritate fiendis violentis Reoccupationibus, hactenus fere sibi impune vendicatum licentiam; Status et Ordines renovant Artic. 3. Anni 1608. post Coronationem editum:

§. 1. Cum ea declaratione; ut hujusmodi Judiciariarum executionum non Admissores, vel earundem Turbatores, praeter poenam Homagiale 50. Marcarum gravis ponderis, per Judicem causae ipso facto exequendam; etiam in refusione expensarum, in executionem praescriptorum Bonorum, penes assisten-